

uers. hæretic. Tertullian.

3 *Cum dicant eundem.*) Vna fuit Sabellianorum hypothesis, sed multarum blasphemiarum instar. Personas enim in Trinitate non tantum confundunt, sed omnino tollunt. Itaque Patrem, Filium & Spiritum sanctum vnā & eandem esse *ὑπόστασιν* volunt, quæ variis nominibus, prout necessitas & vsus exigit, appellata est, vti vnum & idem solis corpus, lux, splendor, & calor pro diuersis affectis nominatur. Confirmant autē suam sententiā, quia Deuter. 6. dictum est, Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. quod certē perperam intellectum Iudæos ipsos, à quibus prima huius hæresos fundamenta iacta sunt, in eundem errorem induxit, atque etiamnum hodie retinet. Clamant enim *πολυθεϊαν*, id est, deorum multitudinem à Christianis Ethnicorum more renouari, si tres in vna & eadem diuina essentia personæ re ipsa distinctæ & subsistentes ponantur. Responsio verò facilis est: Nos vnā quidem & eandem etiam numero, non tantum genere & specie *οὐσίαν*, id est, essentiam diuinā docere, cōstituere & defendere: in ea verò essentia tres *ὑποστάσεις*, id est, personas & subsistentias agnoscere, vt veteres verterunt. Itaque neque deos numero multos facimus, cum non separemus diuinā illam naturam: neque personas tollimus, quia quenque, id est Patrem, Filium, & Spiritum sanctum in diuina essentia propriam personā habere demonstrauimus. Vt autem hæc commodissime docerentur, voces *οὐσίας* & *ὑποστάσεως* sunt à Patribus receptæ, vt ait Socrat. lib. 3. cap. 7. Ruffin. lib. 1. cap. 29. ac *οὐσίας* quidem vocabulum aduersus Arianos: *ὑποστάσεως* autem aduersus Sabellianos: vt omnis

nis